


**Helvetius, Jean-Claude-Adrien -
candidat / Geoffroy, Stéphane
François - président. - An Erethismi
Sedatio, Morbi Curatio ?**

1708.

***Paris : Typis Viduae Francisci
Muguet, Regis & Facultatis
Medicinae Typographi***

Cote : ms 2325 n°28



QUÆSTIO MEDICA,

Quodlibetariis disputationibus manè discutienda in Scholis Medicorum die Jovis nonâ Februarii 1708.

M. STEPHANO FRANCISCO GEOFFROY, Regiæ Scientiarum
Academiæ Parisiensis Regiæque Societatis Londinensis
Socio, Doctore Medico, Præside.

An Erethismi Sedatio, Morbi Curatio?

I.

VARIÆ quidem ac mirum in modum discrepantes de Principiis Medicis sententiæ hinc artem medicam merè opinabilem totamque conjecturâ contineri colligis? Immeritò. Unde igitur summa illa Medicorum dissensio? Ex diversâ istâ facie, quâ se perferuntantibus Natura concipiendam præbet. Observa, si lubet, expressas ejusdem exemplaris, statuae, verbi gratiâ, cujusdam, variis à pictoribus imagines: eandem inter ipsos, quam inter Medicos deprehendes discrepantiam. Hic præcipuas tantummodò notat partes, rudique adumbrat penicillo. Ille studiosius flexûs omnes ac circuitûs delineat. Alius curiosè vel levissima quæque depingit. Varii varium statuae situm exhibent. Alii nitidam & collustratam, alii abditam & opacam designant. Sic unicam veluti innumeram reddunt. Ex illâ imaginum varietate confusionem gigni judicabis? falsò. Hinc è contrario oritur perfecta numerisque omnibus absoluta statuae descriptio. Quin tu idem tentis de variis atque inter se dissidentibus Medicorum opinionibus? Naturam sibi proponunt omnes investigandam & describendam. Quidam ex iis ad primas, quas vocant, qualitates sive in homine sive extra, calidum scilicet, siccum, frigidum & humidum attendit, rudique in istâ conquiescit naturalium effectuum adumbratione. Quidam verò diligentius indagat cæteras corporum qualitates sensibus obvias, putà amarum, salium, dulce, acidum, acerbum, oleosum, &c. Hic quod in naturâ venis, ut ita dicam, & visceribus penitus inclusum latet, scrutatur: partium figuram ac dispositionem evolvit: salium, sulphurum, aquæ, terræ moleculis congruentem figuram tribuit. Ille nativum quemdam fingit calorem humoremque radicibus instituit plurimorum causam effectuum, quos alter Archæo, alter quibusdam facultatibus, is animæ sensitivæ, ille spiritibus animalibus, alius cuidam nervorum præfidi, alius verò organicæ partium dispositioni adscribit. Hæc omnia, res una, sed variæ picturæ, varia nomina. Quidam morborum causam in primarum qualitatum excessu vel defectu ponunt, quidam verò in relaxatione aut contractione: alii humorum sive effervescentiâ, sive putrefactione, sive exaltatione varias ægritudines creari censent: alii fibrarum *crispaturâ* & inertiam, secretionum circulationisque intermissione, siccorum crassitudine easdem gigni autumant. Ne rationibus argumentisve defuitas varias istiusmodi opiniones, aut ita multum à vero abluere putes. Immo ex his inter se collatis exploratque veritatem eruere non frustra tentabis. Unica causa, varii effectus. Constans illa, immutabiles ipsi. Causa latet, unde diversa Opinio. Effectus patent, unde unanimis Consensus. Quod olim observârunt antiqui Medici de naturâ hominis, de modo quo se habet ad omnia, de morborum initio, incremento, fine, tempore, mutatione, vicissitudine, symptomatis, nunc idem quoque observatur. Ex his conflatur Medicinæ Theoria: his quoque astruitur Medendi Ratio. Utraque ab Hippocratis ævo aucta tantum, non immutata: Neotericorum inventis collustrata, observationibus assidue comprobata. Hanc ab Hippocrate & præcis Medicis commonstratam viam, à peritissimis cujuscunque ævi calcaram si quis nomine tantum Medicus reliquerit, ægrotis perniciosam, sibi parat dedecus. Quò potissimum tendat recta hæc medendi via, Quæris? Eò nempe, ut illud imprimis tollatur, quod functiones immediatè lædit, quod morbi cujuscunque symptomata pariat ac fovet, quo tandem sublato restituntur functiones, symptomata evanescent. Qui igitur artis minuter hæc præstare noverit, is reipsâ Medici nomen sibi vindicat.

NIHILO MINUS constans est Praxis Medica, quantumvis varia, quæ in curandi ratione adhibentur methodi. Ab Empiricis solâ fretis experienciâ, à Methodicis generalia duntaxat laxationis aut coarctationis indicia perpendentibus, à Dogmaticis causas non modò proximas & parentes, sed remotas etiam absconditasque investigantibus morbi saepe sanantur; atque in hac triplici disciplinâ plures extiterunt præstantes medici. Rarus Hippocrates Medicum naturæ tantummodò adjectorem esse ac veluti administrum, illam operantem solùm observabat, nihil non ipsi permittere. Quid ergo tantus ægrotis præstabat Medicus? Vires ad morbum domandum idoneas. Quæ tandem viâ? Diætâ præcipuè, interdum excitato vomitu, rarò solâ adhibitâ purgatione; phlebotomiâ parcius, fomentis verò, frictionibus, balneis, largius utebatur. Erasistratus nimiam corporis repletionem, à quâ morbos omnes fluere censebat, ciborum abstinentiâ, corporis exercitatione, vomitu, ligaturis, fomentis, balneis sive calidis sive frigidis, cataplasmatibus, unctionibus solebat compescere. Nunquam verò aut rarissimè sanguinem mitti volebat. Aesclepiades optimum corporis habitum in justâ poros inter seu canales, liquoresque ipsis contentos ratione positum esse opinabatur. Ex eadem perturbatâ morbos oriri affirmabat. Molecularum incusabat crassitiem tenuitatemve, aut vasorum relaxationem vel constrictionem. Quid inde? Communes illas morborum causas communibus remediis oppugnabat, gestatione potissimum, frictione, vini & aquæ haustu. Sanguinem mittebat, rarò ciebat vomitum; at purgationem veluti plûs damni quàm auxilii ferentem prorsus respuebat. Themiso communibus morborum omnium indicii intentus laxam nimis, nimilve contractam solidorum compagem, spissiore aut fluidiore liquorum habitum restituere conabatur: remediis itaque relaxationem aut coarctationem invehentibus utebatur: ad phlebotomiam confugiebat ut totius corporis, ad hirudines verò & cucurbitulas, ut cujusdam partis strictam nimis habitudinem resolveret. Aesclepiadis & Themisonis vestigiis insuflens Thessalus Μετασύγκλειον induxit, cujus ope pororum corporis vitio mederi cogitabat. Quæ autem μετασύγκλειον vocabat remedia erant rubrificantiâ, vesicantiâ & genus omne causticorum. Triduum quoque ineunte morbo instituit ciborum abstinentiam; *Διαίτης* dicebatur. A purgatione maximè alienus, sed ut Themiso in deligendis cibis, medicandoque, sive ad laxandum sive ad densandum, aère summè cautus. Galenus Dogmaticorum facillè princeps corpus humanum, quemadmodum cætera naturæ corpora, ex quatuor elementis putâ igne, aquâ, terrâ, aère coalescere autumat. Primariis eorum qualitibus calido, frigido, sicco & humido variè inter se compositis oriuntur (ad illius mentem) quatuor præcipui corporis humores, Sanguis, Bilis, Pituita, Melancholia. Positâ humorum æquabilitate exsurgit Sanitas, eadem subversâ Morbus: Plethora, si omnes humores redundant: Cacoehymia, si quidam cæteros exuperat. Vires tueri, Morboque obniti, Galeno omnis curandi methodus. Quod ut præstaret, vires iis rebus, quæ cum ægrotantium corporum qualitibus consentirent, servari: Morbum verò iis, quæ cum morbi causâ qualitate pugnant, propulsari arbitrabatur. Alimenta Medicamentaque univèrsa in calida, frigida, sicca & humida dividebat, quæ singula variè pro variis gradibus, ad majorem minoremve sedandam intemperiem accommodabat. Sanguinem quandoque, rarò tamen, ad deliquium usque ægrotantis mitti jubebat. Cæterum phlebotomiam non plûs terve quaterve, idque primùm ingruente morbo iterabat. Purgantia frequentius quàm Hippocrates admittebat. Quamplurimus utebatur remediis tum simplicibus tum compositis, anodynis præsertim ac somniferis ad fluxiones sistendas & dolores demulcendos potius quàm ad somnum conciliandum, balneis insuper ac frictionibus plurimum confusus. Empirici neglectâ prorsus causarum morbi investigatione, Diagnosi unicè studebant, ad cujus normam remedia præbebant, quotquot erant usu comperta, diætâm, phlebotomiam, emetica, purgantia, somnifera, fomenta, lotiones, frictiones, unctiones cunctaque medicamenta tum simplicia tum composita. Horum alia ratione quarundam partium, alia ratione morborum quorundam, illis specifica videbantur. Siquid in methodicorum aut dogmaticorum praxi felix salutarumque advertentibus, illud quoque exsequantur, omissis tamen, quas illi proferebant, rationibus. Hos tamen Medicos omnes & quamplurimos alios quantumvis inter se dissidentes felicem in medendo operam posuisse certum est. Non igitur peculiaribus Medicorum sententiis nititur Praxis medica, sed principio quodam univèrsali, in quo omnes consentiunt, nempe tollendum esse, quod morbum efficit & fovet. Quid quæso istud est, nisi communis omnium morborum Causa, dicam, an Essentia? hæc autem variis sub speciebus à quibusdam Astrictio, Laxatio, Obstructio, Fluxio nuncupatur, ab aliis Intemperies, Calor, Plethora, Inflammatio, Dolor. Sed quocunque nomine, quocunque aspectu variis in morbis ipsam deprehendas, modò debite oppugnes, expugnabis. Qui igitur morbum non expugnat, ejus causam vel essentiam is certè non oppugnavit: imò ipsam fortasse propugnavit.

DUPLICI partium genere, solidarum nempe & fluidarum tota contextitur humana compages. Solidæ fibrillis constant plûs minùsve densatis, quarum aliæ admodum extensæ relam

membranaceam, alia verò in unum veluti fasciculum firmum & durum compactæ laminas osseas conficiunt. Ex iisdem fibrillis leviter stipatis coalescunt muscoli, quorum usus in eo positus est, ut sanguinem intrâ ipsorum tubulos ex canalibus effluentem modò retineant, modò dimittant. Canales omnes sunt varii earum contextus. Glandula, horumque canalium glomera. Viscera omnia, novum horum omnium textum. Fibræ, quæ sunt istiusmodi veluti liciorum stamina, miro quodam elatere donantur, cujus ope modò contractæ modò remissæ motum servant perpetuò oscillatorium. Corporis fibras fidibus dixeris similes quæ semel pulsæ aliquandiu vibrant. Motus iste in ortu incipit, in interitu desinit; immò tota vita oscillationibus continetur. Fibras vibrantes in peristaltico intestinorum motu, in tremulis animalium recens cælorum carnibus, in pulsû avulsî ranarum cordis cernere est; quod si minutatim concidatur, singulæ partes eodem ordine moveri pergunt, donec exsiccatis fibræ motus intereat. Si à motu calor pendeat, cur neges debitam fibrarum agilitatem per *calorem*, quem veteres *innatum* dixere, requisitamque fibrarum ad oscillandum mollitiem per *humidum primigenium* intelligi posse? Continuò per vitam fibræ exsiccantur & durefcunt. In pueris molliores sunt, ideoque debilis oscillatio, in adultis firmiores, ac proinde oscillatio vivida, in senibus paulatim rigescunt, donec tandem ad oscillandum profus inceptæ fiant, unde animalis interitus. Hujusce motûs principium quæris? num in Durâ matre, num in Corde primùm exordiat? frustra. Audi Hippocratem. *Principium corporis nullum est, sed omnia similiter principium & omnia finis: circulo enim scripto principium non invenitur.* Movet & movetur utrumque. Cor scilicet & Dura meninx. De causâ oscillationis ne sis magis sollicitus. Quòd elatere corporum, fidium pendulorumque vibrationes fovet, idem fibrarum oscillationem parit & servat, quamdiu ad motum flexiles sunt. Illud, si lubet, *πνεῦμα*, spiritum insitum, τὰ ἀσπυρῆτα, spiritum animales, materiam subtilem, aut alio quocunque nomine nuncupes: Quid præterea? num istud magis tibi perspectum erit? Ludis operam in investigandis causarum causis; quod vix unquam Philosophus, frustra assequatur Medicus. Ut vita, quod ad solida spectat, ex debitâ fibrarum oscillatione, ita valetudo ex æquâ earum motûs reciprocatione pendet. Fibrarum genus utrumque carnearum & membranacearum reciproco Systoles & Diastoles motu assiduè exercentur. Quodque in minutissimis ejusmodi partibus, idem in organis, quæ inde oriuntur, cernere est. Principes enim corporis partes, sine quibus vita stare nequit, cor, ejus auriculæ, arteriæ, venæ ipsæ, dura meninx, diaphragma omniaque respirationis organa in eodem pariter reciprocationis motu versantur. Quid dicas de motu ventriculi & intestinorum, quem vermicularem vocant? nonne quoque ex fibrarum Systole & Diastole ortum ducit? Quod in istis partibus palam est, de cæteris conjiciendum. Membranas, Glandulas, Viscera contrahi & remitti pariter necesse est, ut vel ultimas fibres succus nutritius subeat, secretionisque peragantur. Ne tamen motum ad sensationes requisitum cum statis fibrarum oscillationibus confundas. Quantumvis agitetur Campana, ni pulsetur, nullus fit sonitus. Percussu opus est, ut singulæ ipsius particulæ succuti ac tremere possint. Sensatio pariter non peragitur, nisi fibrarum particulæ peculiari quâdam agitatione vel succussu ab organo ad principium usque sensuum moveantur. Quemadmodum autem corporis sonori particulæ tam validè concuti possunt, ut ab invicem dissiliant: quod cyathi vitrei, qui unius vocis sono diffingitur, exemplo patet: ita in sensationibus vehementior concussus fibrarum particulas tantùm non disjungit, oscillationem aut debilitat aut perturbat aut aliquandiu moratur. Illud ipsum est fibrarum *Erethismus*. Si nimius sit, doloris sensum, si levior, voluptatem creat. Non pendet unicam solidorum librationem corporis Sanitas. Corpus enim tubulorum congeries, quos assiduè rigant fluida. A solidis motum omnem mutuantur, atque ideo ab iisdem superanda est liquidorum resistentia. Solidorum nisu fluida commoluntur, adeoque attenuantur, ut extremas corporis fibras subire, canales vel tenuissimos alluere, ac tandem per emunctoria quæcunque vel cutis poros secedere possint crassi admodum, viscosi, ideoque ad motum parùm habiles corporis succi. Sunt enim ipsissima, quibus vescimur, alimenta sive solida sive fluida, quæ, ut in propriam corporis substantiam vertantur, stipanda adhuc & densanda sunt. Vi magnâ itaque opus est ut solidæ partes corporis succos commolere, fluidosque efficere queant: quæ si vel leviter imminuatur, densi hærent succi, atque in minimis canalibus subsidunt; Quàm facillè sanguis extra corporis vasa coaguletur nemini non notum. In eo igitur ex parte liquidorum posita est Sanitas: ut debitè & assiduè terantur, liberè canales omnes vel tenuissimos infuant, superfluaque aut noxia excernantur. Quod ut peragatur ea est solidas inter & fluidas corporis partes necessitudo, ut quantum crescit fluidarum mora, tantùm crescat solidarum nisu; qui tandem si impar sit superandæ liquidorum moræ, tunc præter morem accelerantur fibrarum oscillationes: ubi igitur moratur liquorum cursus, ibi pulsus arteriarum vehementior; rursus autem vincente sanguinis morâ, pulsus cordis increbescit usque dum ipsam vicierit. Hujusce accelerationis ratio ex fidibus petenda est, quæ mediocriter tensæ debiles undulationes peragunt, vividiores verò, si magis extendantur, ac tandem crebriores, si ad summum distendantur. Ita, cursu sanguinis tardato, vasa mediocriter intumescunt, quibus contextuntur,

validiùs extendunt, unde crebriores redeunt oscillationes. Quin & liquores diuturniori morâ aciores sunt; partesque vellicando ad oscillationes magis accelerandas, vel etiam perturbandas excitant. Sanitas itaque ab oscillatione liberâ, facili & temperatâ. Hinc cordis & arteriarum pulsus, hinc duræ meningis & aliarum membranarum Systole & Diastole, hinc tandem motus partium omnium reciprocos omnesque solidorum actiones debite peragentur: necnon sequitur optima liquidorum habitudo, ritè conterentur, liberè fluent, faciliè secernentur. At si Erethismo concitæ fibrarum particule oscillationes immutent aut conturbent, statim tota afficietur corporis œconomia plus minùsve pro modulo Erethismi, aut ratione partium, quas ille vexabit. Inde functionum intermissio aut immutatio innumeraque symptomata, quæ non nisi sedato erethismo desinent.

I V.

MORBUS omnis, si ad essentiam spectes, fibrarum Erethismus. Ne dubites, sedulus attendas ad communia morborum omnium symptomata: Calorem scilicet præter naturam & Dolorem: necnon ad alia, quibus ea non rarò stipantur, tumores nempe, inflammationes, convulsivas partium tensiones, sitim, ardentes & flammeas urinas, spumantes subrufas virides aut nigras dejectiones, biliosam aut cruentam exspuitionem, innumeraque hujuscemodi; quorum causam in Erethismo nemo non reposuerit. Dum certo ac temperato motu oscillatur fibra, ut naturalis est, qui ex eo nascitur calor, sic nec acerba, quæ in mente excitatur perceptio: immò vigente sanitate mens in eâ indolentiâ & tranquillitate versatur, ut ex iis, quæ in corpore peraguntur, nil sentiat. Quòd si, quâdam superveniente causâ, singulas fibrarum particulas insuetus fremitus aut irritationis motus concutiat, tunc caloris ardorisve sensu in parte affectâ, doloris verò, si præter modum ingravescat, mens afficitur. Ab hac irritatione æquabilis totius fibræ oscillatio perturbatur vel etiam extinguitur, succorum per fibrarum canales fluentium cursus aut minuitur aut prorsus sistitur: tunc hærentes succi nec satis conteruntur, nec probè defæcantur, inde vacuationes aut prævæ aut penè nullæ. Quorum rationem si perferutari velis, fibram tibi effinge tanquam fistulam ex lamellâ quâdam tenui in spiram convolutâ & in tubum angustatâ compactam. Oscillare dicitur, dum alternatim contrahitur & extenditur. Hujus diameter in contractione crescit, in extensione minuitur. Sic variis in fibræ oscillationibus, contractionis & extensionis vicissitudine, succi fistulâ contenti protrudantur, nec nisi repetitis moventur succussibus. Si jam insueto fremitu commoveatur unaquæque fistulæ spira, ejus Systoles aut Diastoles motus minuitur, & æquabilis fibræ perturbabitur oscillatio, vel etiam prorsus cessabit, si oscillatorium motum fremitus iste longè superet. Fibræ verò ab oscillatione cessans rigida fit & velut crispata. Fibrarum Erethismum *Crispaturamve* innumera excipiunt cum in solidis tum in fluidis gravissima symptomata. Erethismus tumores procreat, cum, ob plurimas in hac parte laborantes fibras, succos impeditos per canalium longitudinem redundare necesse est. Pulsatio inibi percipitur, cum sanguis agrè vehitur per arterias minimas fibrarum tumore constrictas. Accenditur febris cum, retardatâ universâ sanguinis circulatione, acceleratur cordis & arteriarum pulsus, ut eadem semper sanguinis moles ad omnes partes deferatur. Inflammatio accedit, cum, fibris partis ægrotae vehementer irritatis & concussis, pars incalescit & ardet, necnon cum sanguis ad extremum usque arteriarum vibratus impeditur, arterias vel minimas tumefacit & conspicuas præbet. Abscessus gignitur, cum disruptas inter fibras succus nutritivus diffunditur, ibique subsidens & acrior factus proxima quæque corroddendo tandem se exerit. Gangræna oritur, dum succis obstructione detentis, pars quæ ab ipsis nutriri solebat, funerata marcescit. In partibus membranosis diutius Erethismo affectis sensim coagulantur aut penitus obdurantur succi: unde cartilaginosa fiunt & interdum ossæ quædam membranæ. In carnis verò partibus ex diductis laniatisque carni fibrillis scirrhi & sarcomata enascuntur. Acerrimus est Erethismus in morbis acutis, quos gravissima comitantur symptomata, ad extremum necnon ad mortem sæpe immaturam citò perducta. Is in delirio & phrenitide cerebri membranæ: in pleuritide pleuram: pulmones & thoracis membranæ in peripneumoniâ: in anginâ fauces: jecur in hepatitis: renes in nephritide in isehuria & dysuria vesicam: in febribus ardentibus abdomen, thoracem vel caput: non rarò etiam, ut in variolis, morbillis, aut putridis febribus, universum corporis habitum afficit. Morbos chronicos, qui non dierum sed mensium aut annorum circuitu definiuntur, perferutare. Quid in iis aliud se prodit, quàm fibrarum irritatio? Phthisi laborantium Symptomata, tussis aspera, assidua febris, calor urens & præter naturam, sitis, vigilia, flammeæ urinae, exsiccata & attenuata corporis habitudo immodici universalisque Erethismi nonne manifesta sunt indicia? Acerbos capitis dolores, lumborum totiusque corporis gravitatem, cordis arteriarumque palpitationes, lentam febrem, quâ laborant virgines ob mensium suppressionem languidæ, quis ab Erethismo oriri inficias ierit? Epilepsia insultus, Rheumatismi & Podagra cruciatus, luis veneræ dolores quis eidem non adscripterit? Verùm ille in hysteriis hypochondriaciisve affectionibus præcipuam vim exerit, & ita dominatur, ut vicissim pariat singulos, quibus corpus occupatur, affectus. Hinc mæstitia, timiditas & ignavia, animi dejectio aut desperatio.

Hinc pariter gutturus, diaphragmatis, & infimi ventris musculorum spasmus, artuum tremor, dolor capitis terebrans quasi à clavo infixio, vomitiones, dejectiones biliosa, cordis & arteriarum palpitaciones, tussis, urinæ suppressio, & limpida nonnunquam urinæ ejectio, summum partium externarum frigus quasi cadaveris, ptialismus quasi à mercurio excitatus, risus aut lachrymæ sine causâ effusa. Eadem affectiones asthma, iliacam passionem, dolores colicos, nephritim, intultus epilepticos, apoplexiam & paralytim sæpe mentiuntur. Hæc autem symptomata ita ex improvise adoriuntur, subinde cessant, & in alia convertuntur planè diversa, prout Erethismus has vel illas partes aggreditur. At, inquires, ubinam Erethismus in hydrope, laxâ nimirum & aquis madente totius corporis compage? sed cave decipiaris symptomatis, quæ in ejusmodi morbo prima sese offerunt. Accuratè perpendas ardentem ægrotantium sitim, urinas paucas crassas & rubras, febrem lentam sed ferè assiduam, & alia, quæ exundationi præverunt, incommoda, eaque non nisi ab Erethismo tanquam à causâ primariâ profecta deprehendes. Mirum sanè quàm facilè irritatio, quæ sæpe proxima quæque non affecit, citò transeat ad partes etiam remotissimas, prout in illis fibratum tonus cum inflammata parte convenit. Phrenitidem non rarè urinarum suppressio, plerùmque dolorem nephriticam vomitio, diaphragmatis inflammationem delirium comitatur, quorum communis causa Erethismus. Nec idèd semper irritationis immunes dixeris partes partis inflammata viciniores: sæpissime enim inflammatus digitus digitum proximum inflamat: pleuræ inflammatione pulmo sæpè inficitur, sicque pleuritidem excipit peripneumonia lethalis. Quidam sunt morbi, in quibus modò hæc modò illa pars Erethismo torquetur. Causam quæris? attende. Illud inde nascitur, quòd fluidi quadam partes in canaliculis propter crassitiem immorantes, eisdem ultra modum extendunt, ac proinde irritationem acuunt, donec crebris succussibus expulsa tandem in maximos canales insistant. Tunc, quæ percipièbatur, irritatio desinit, sed rursus in aliâ parte sentitur, ubi vitiatum istud fluidum ad alios pervenerit meatus, in quibus denuò aut propter eorum tenuitatem aut propter oscillationis debilitatem morabitur: quod quidem videre est in arthritide, in quâ scilicet dolor, inflammatio, tumor varias vicissim partes occupant. Cessat quandoque Erethismus, subinde tamen stato tempore recursurus, velut in quacumque intermittente febris & quolibet affectu periodico, quod ita accidit, seu quòd depravatus humor Erethismo attenuatus magnosque in canales delapsus denuò crassitiem contrahat, unde novæ redituræ sunt exacerbationes, seu quòd eodem humore soluto alter non deficiat. Nonnunquam accidit, ut quamplurimis in partibus Erethismi cum oscillatione juncti vis acrior cæterarum nifum superet, & nativum solidorum tollat æquilibrium. Sic cordis & arteriarum oscillatio Erethismo concita fibrarum cæterarum partium oscillatione immodicè superior post diuturnas febres leucophlegmatiam aut ascitem gignit. In variolis vehemens per totam cutem Erethismus, quem si fibrarum interiorum oscillatio sustinere nequit, in cutis glandulis coacervata materies in partes internas, quarum debilior oscillatio, statim refunditur; unde graves alvi fluxus, quibusdam in partibus purulentæ materiæ collectio, morsque ipsa nonnunquam sequitur. quòd si per totum corpus fibrarum oscillatio cutis irritationi sustinendæ non impar sit, externæ suppurationis beneficio sanatur æger. Cave autem ne fibrarum interiorum oscillationem excitandi causâ novum intus concites Erethismum, quo contentio acrior fiat, dubiusque eventus. Crisis, natura ille impetus, vitæ aut mortis artifex, irritatas inter & oscillantes fibras quidam veluti consensus est ad attenuandum humorem in partibus stagnantem, eundemque foras propellendum. nec nisi statis temporibus recurrit ejusmodi consensus. Exemplo sint duæ chordæ inæqualis longitudinis simul pulsata; non pulsationes habent isochronas, sed modò separatas, modò conjunctas. Si altera sit alterius subdupla, illa duas vibrationes, hæc unam tantum eodem tempore absolvet. Si sint inter se ut 24. ad 25. vibrationes nonnisi in 25^a. minoris chordæ undulatione conjungentur. Pariter intelligi possunt irritata fibræ, quasi exiles chordæ longè crebrius solito oscillantes. Dum autem irritatarum fibrarum subtilus, & æquabiliter oscillantium motus non sunt isochroni, non solum earum vis adversus renitens fluidum remissior est: sed etiam longè quàm in naturali statu debilior esse potest, si duo illi motus opponantur. Si tandem post multas vibrationes eodem tempore consentiant, fluidis in parte laborante hærentibus superiores esse poterunt, & eorum moleculas ita conterere, ut facilè per canales excretorios permeare possint. quod unoquoque 48. horarum spatio redire consuevit. Inde naturales, quæ vulgè accidunt in diebus criticis seu imparibus, evacuationes, præsertim si morbus ex acutorum genere: nisi obsit curandæ ratio. *Nemo igitur* seu humorum Concoctio, quædam est subactio & attenuatio succorum crassiorum, qui irritatas inter fibras detinebantur, aut eorumdem, cessante Erethismo, evacuatio. In criticis diebus plerumque mors adventit, cum materia, quæ intrâ fibras hærebat, nec subigi nec expelli potuit. tunc enim major fit vasorum obstructio, succorum inspissatio densior, nimia fibrarum distensio; & ita augetur Erethismus non solum in parte affectâ, sed etiam per totam corpus, ut oscillationis motum, quo vita continetur, longè superet, & prorsus extinguat. Ere-

hismi causæ: vel internæ vel externæ. Internæ vel in mente ut animi pathemata, vel in corpore, puta succi aut spissiores & intrâ tenuissima vasa immorantes, quibus nimium distenduntur fibræ, vel acriores, quibus immodicè vellicantur. In eodem numero jure quoque repones adventitias quasdam causas, veluti adnascentes in pueris dentes, ossis fracturam aut luxationem, calculum in renibus, in intestinis vermes &c. Inter causas externas id omne recentendum est, quod corpus externè afficit: aër, frigus, calor, ictus, alimenta, venena, &c. Cacoehymia & Plethora morborum causæ improprie dicuntur, mera quippe symptomata ab Erethismo profecta. Hæc scilicet ex solitæ transpirationis imminutione, illa verò ex peculiaris humoris evacuatione suppressâ: quæ quidem aut imminutio aut suppressio non nisi ab Erethismo meatus hujusmodi egestionibus destinatos occupante provenit. Nec tamen diffidendum est ex succis per evacuationem suppressionem diversè alteratis diversa se prodere morborum symptomata: At Causa morborum princeps, symptomatum parens aut nutrix, functionum interemptrix immediata, fibrarum Erethismus. Hoc sublato tollitur morbus, functiones restituntur, reparatur sanitas.

V.

FRUSTRA morbis volueris mederi, nisi fibrarum Erethismum emollire coneris. Ut vibrationibus pulsatæ chordæ, ita quoque Erethismo suus esset terminus, nisi aut permanente priori causâ, aut succorum concretionem fibrarum *crispaturam* sollicitante, aut eorumdem morâ & acritudine continuò foveretur. Morbum sanare contendis? Erethismum seda. *Qui sedatur?* Procatartica & assidue irritantem causam remove. fibras nimium tensas laxa. Succis crassioribus & inhaerentibus fluiditatem, acrioribus dulcedinem impertire. Succorum, qui in canalibus exuperant fibrasque distendunt, copiam non mediocrem detrahe. Particulis quibusdam interpositis muta fibrarum molem. denique Erethismi rhythmum contrarias irritationes solemter oppone. Nonne ad mitigandum Erethismum frictions, unctiones, balnea, thermas, lotiones, fomenta cæteraque ejusmodi, quorum nunc rarior usus, Medici veteres adhibebant? Sic enim crispatis fibris molliem, partibus oscillatorium motum, crassioribus succis subtilitatem majorem conciliabant; sic liquorum percolationes secretionisque propebant. Sæpius, ut contrariâ excitatâ irritatione remissior esset prior erethismus, partes remotiores fricare solebant. Frictio in longis, unctio in acutis morbis usu venerat. hæc dum fibras emolliebat, Erethismum, qui tunc violentus est, minuebat, illa coagulatos succos conterebat eorumque tunc interclusas juvabat percolationes. Refrigerando, humectando, molliendoque corporis habitui aquæ calidæ: Eidem alstringendo, fibrarum tono firmando, & oscillationi accelerandæ destinabatur aquæ frigidæ balneum. Inchoantium inflammationum, Erysipelatis, Arthritidis, quin & interdum convulsionum vim frigido quoque balneo retundebant. Cavebant tamen ne frigus foret acerrimum aut diurnum, quod tunc fibras ita constringit, ut, oscillatione prorsus interceptâ, stuporem partibus inducat. Cum plurima ab ipsâ artis medicæ inventione reperta fuerint, tum præcipuè sanguinis missio, quâ nihil promptius tutiusve sive ad sedandos dolores, sive ad infuetum calorem extinguendum, sive ad plethora succurrendum. Nonne autem Erethismum minuendo illud operatur? à quibusdam ad deliquium usque ægrotantis sanguis eximebatur. Tunc laxatis quæ prius turgescerant fibræ, extinguebatur Erethismus. Verùm propter nimis enervatam oscillationem debilitati ægrotantes aut moriebantur aut ægrè se expediebant. Utilius ac felicius abundans illa sanguinis missio in plures ac parciore distributa est. At sese proximè sequantur oportet in acutis, ne, si satis justa non elabatur sanguinis copia, ad vacuandos canaliculos aut fibras laxandas, non satis valeant. immò raro profunt post quartum ab ineunte morbo diem, ob fibras jam nimium crispatas, densatosque nimium liquores. Remedia vomitum provocantia olim apud sanos perinde ac ægrotos frequenter usu pata, quæque postea diu ab usu recesserant, nunc rursus utiliter morbis accommodantur. Quid autem juvant? fortem expressionem in eâ parte promovent, unde liber exitus materiei inibi contentæ: quâ viâ per meatus excretorios ea deduci etiam possunt, quæ certis corporis partibus imminabant. Sæpe Erethismi rhythmum levi sed planè contrariâ irritatione Invertunt & prorsus extinguunt. Sic in alvi profluviis Hippocrates excitabat vomitum, quo confestim infernus secessus sursum revelleretur & solveretur. Ea est præterea emeticorum vis, ut vivos in visceribus succussus excitent, fibrarum oscillationem ubique adaugeant, ac tandem liquorum cursum tardiozem aut repressum ita extimulent, ut per angustos canalium meatus foras propellantur. Hinc copiosa illæ vacationes per vomitum per alvum per sudores simul concitæ unicâ tantum sibi velut atomo exhibitâ. inde quoque morborum acutorum initio adedò utilis, modò cauta, emeticorum exhibitio. Aliis longèque diversus Purgantium usus, de quibus inter majores nostros lis semper mota est. Methodici omnes & plerique veterum purgationem ut supervacua, immò ut noxiam respuerunt. Cæteri maximâ cautione utendum putant, eâ nempe, ut sint concocti humores fluidique; laxæque corporis fibræ. quæ conditio si desit, quid aliud sequetur, quàm vehemens in intestinorum viscerumque abdominis fibræ Erethismus, ac proinde inflammatio? Sedato tantum

Erethismo purgantia exhibere licet, quanquam tunc temporis haud multum necessaria videantur, Laxis enim fibris liquores liberè & ultro fluunt, ut in morborum salutiferis crisi- bus observari solet. Verùm siquid præstare valeant, illud solùm, quòd enervato oscillationis motui auxili- entur: sic faciliùs succi in canaliculis propter fibrarum irritationem diutius immorati foras exiguntur. Apud veteres Medicos celebratum adversus morbos remedium, Diata. Vulgarissimum apud Hippocra- tem ægrotantium alimentum *πρωσόν & πρωσόνος γαλός*. Non tunc succulentarum carni- um jusculis, ut hodie continuò ægroti, sed bis aut semel per diem hordei cremore reficiebantur. Hæc victus ratione fibras laxando, succos mitigando saliumque particulas absorbendo aut involvendo fran- gebatur Erethismus, quem è contrario corroborant nostra carni- um juscula sulphureis & salinis par- tibus affluentia. Paulò pleniori victu indigebant ægroti? illum ex oleribus desumebat Hippocra- tes. *Beta* nempe, *Bisti*, *Atriplicis*, *Rumicis* folia exhibebat, vel etiam *Citrullos*, *Pepones*, &c. hujusmodi. *Serum lactis* & varia *lactis* genera in chronicis affectibus propinabat. Hanc à Me- dicinæ instituto peritissimi quique Medici in sanandis morbis viam secuti sunt. His rationibus Erethismum, à quo Calor præter naturam & gravia morborum Symptomata, temperarunt. Nec, si tutò mederi velis, ab eâ tibi recedendum. Cave imprimis, ne ab Helmontii sectatoribus deci- piaris, qui morbos ferè omnes alcalium tum fixorum tum volatilium ope sanandos existimant. Sic enim effervescentias fermentationesque sedare, acida coagulantia absorbere, sulphura ni- mium exaltata cohibere, fermenta morbifera præcipitare contendunt. Si eos audias, sangui- neam molem alcalibus oleosis attenuant, expurgant, & ejuscrementa per sudores propellunt. Sed verba isthæc sunt & strophæ. Si enim ejusmodi salium alcalium oleorumque aromaticorum virtutem scrutatus fueris, stimulantia deprehendes, quæ solidas omnes, quas præterfluunt, partes ad irritationem concitare valent. Ubi frigidus & humidus aër corporis fibras laxat & succos ita condensat, ut fluidis propellendis solida sæpe imparia sint, tunc salutifera esse possunt, modò tamen nullus adsit Erethismus. Etenim salibus volatilibus, aromaticis oleis roborata oscillatio & solidarum partium vis adacta fluidarum conatum vincet, exinde succorum attenuatio cursus & secretiones prosperata. Hinc quoque Septentrionalibus in partibus benigni nonnunquam horum remediorum successus. Verùm quàm rarò possunt exhiberi! nam si jam violenta sit fibrarum irritatio, quanta ingruent mala? Attende parumper ad ea, quæ calidorum spirituoforumve liquo- rum sorbitionem sequuntur, incommoda nostris in regionibus, ubi fibræ satis sponte suâ distendun- tur facilèque Erethismum concipiunt: affectiones hypochondriacæ mille variatæ modis, fre- quentes hæmorrhagiæ, hydrops, arena & calculi in renibus & vesicâ, arthritis, quæ tam sæviter nostra in corpora debacchantur, horrendæ sunt horumce liquorum proles. Ab his vividis spirituosis, immo igneis remediis quid non metuendum? Et sanè in febribus alcalium volatilium & aromaticorum oleorum usu noxi- us ardor augetur, cutis exsiccatur, totum inflammatur corpus, ac tandem Erethismus ubique accenditur. In Apoplexiâ iidem alcalini & oleosi liquores, cele- bratæ Anglorum guttæ sæpe membranas omnes adurunt, ægrotantisque mortem accelerant, quem sanassent copiosissima aquæ calidæ sorbitio & venæ sectio tempestiva. His enim, inspissatis corporis succis conciliata fuisset fluiditas, Erethismus in cerebro mitigatus, & imminuta vaso- rum plethora. Apoplecticorum, qui spirituosis usi sunt remediis, inspicere cadavera. Tunc ex ventriculi & œsophagi membranarum rubore & inflammatione anceps hærebis, morbo- ne an remedio absumpti fuerint. Ob perniciosos horum volatilium oleosorumque in hypochondriacis & scorbuticis affectionibus remediorum effectus, à medicis, à quibus exhibebantur, in duas classes, frigidam nimirum & calidam, distributi fuerunt hujuscemodi affectus. In frigidis oleosa volatilia innoxia, in calidis verò noxia esse arbitrantur. Sed quàm frivola sit isthæc distinctio, ab inten- sione aut remissione morbi gradu tantummodò desumpta, quis non videt? Quid mirum, si, dum morbus nondum invaluerit, nec jam efferverit Erethismus, latent adhuc, quæ ab his remediis timenda sunt mala? Expecta paulisper, dum morbus certum inclementiæ gradum obtinuerit, nec possit magis intendi Erethismus quin lædantur functiones, statim istiusmodi remediorum malignitatem deteges. Morborum enim symptomata ingravescere, ægrotantisque maximum in vitæ discrimen adduci videbis. Nec aliâ de causâ cautiissimi Medici scorbuticis in affectionibus anti- scorbutica quibusdam acidis temperare solent. Quin & solâ acidorum ope tutius citiusque scor- butici sæpe sanantur. In hystericis hypochondriacisque affectibus curandis nullum post Diluen- tia tutius potentiusve remedium, quam sal volatile vitrioli; quod licet acidorum instar non corrodât, omnem tamen eorum virtutem retinet. Quale sit acidorum beneficium quaris? Retundunt alcalinos sales, nimisque exaltata in sanguine sulphura, quibus continuò fovetur fibrarum Erethismus: hunc præterea sistunt, dum se- le inter fibras interponendo, illis rigidita- tem quandam afferunt. Experimentiâ quotidie comperimus quantum juvent in inflammationibus Acida externè adhibita, in febribus verò internè sumpta ad earum ardorem non modò minuen- dum, sed etiam penitus extinguendum. Nonne etiam eam ob rem Hippocrates *acetum* potionibus

permistum ægris sæpius propinabat. At, inquit, Mars, Kina-Kina, Mercurius, nonne absorbentia sunt, quibus ea virtus inest, ut coagulantium acidorum vim obtendant? Minime. Potenti Martis stypticitati, levique Kina-Kina astrictioni præcipue eorundem effectuum causæ adscribendæ sunt. Ferrum succis corporis dissolutum ob stypticitatem suam partium fibras, ad quas defertur, corroborat & adstringit, & fibrarum fremitum planè destruit. Ferrum propter gravitatem in sola fere abdominis viscera delabitur. Kina-Kina propter partes subtiliores omnem prope pervadit corporis habitudinem, ubi Martis munere, sed debilius, fungitur. Illud autem providendum est, ne fibris desit flexilitas: alioquin gravior fiet ipsarum *crispatura*, & rigiditas, quam brevi excipient Tumores, Scirrhi, Abscessus, pejoraque prioribus incommoda. In divisibilitate & mobilitate tota Mercurii actio, in tenuissimas eademque mobilissimas partes divisus, intrà moleculas inspissatæ lymphæ, in diversis corporis canalibus impeditæ fibræque irritantis sese inserit, eamque tandem per meatûs evacuationi accommodos totam exigit. Si Erethismi placatione sanatur morbus, cur, inquit, Opium, quo sedantur dolores omnes, non pariter morbis omnibus mædebitur? verùm eatenus Opium dolorem contempere valet, quatenus vias ad sensuum originem ocludit. Rationem postulas? Opium, fibrosam laxat sanguinis compagem, statim seceritur serum, & in majoribus vasis colliquatus videtur sanguis. Hæret interim fibrosa pars in capillaribus arteriarum canaliculis, quos partim obstruit, dum sanguinis serosa substantia in canalibus majoribus exundans ita eos distendit, ut per omnia viscera cæterorum succorum vias comprimat & coangustet: unde secreciones aut exiguæ aut penè nullæ. Nervi in cerebro, universali istâ canalium interclusionione plus minusve compressi, impressionem factam sensuum in organis aut segniùs aut nullatenus transmittunt. At si immodica Opii dosis exhibita fuerit, aut si malè affectus sit æger, arteriolarum tumefactionem intensior in cerebro subsequitur Erethismus, indeque Phrenitis. Sin minus succi in fibris impediti nimis crassescunt *crispaturam*que producant, unde Coma aut stupor. Opium igitur, quem non sedat Erethismus, ad tempus abscondit, violentioremque postea in cerebro sæpius excitat; quamobrem in eo exhibendo summâ cautione opus est. Solâ itaque Erethismi sedatione verè sanantur morbi: Secus verò apparens tantùm & simulata morbi curatio, qui mox recrudescet. Erethismus prorsus extinguatur; omnia evanescent morborum symptomata, validæ redibunt functiones, vegeta sanitas. Nec certè aliam medendi rationem, diverso licet nomine usurpatam, inierunt peritissimi cujuscunque ætatis Medici. Nec aliam hodie, nec aliam in posterum quisquam eligat, qui laudabilem veri Medici titulum assequi voluerit.

Ergo Erethismi Sedatio, Morbi Curatio.

Domini Doctores disputaturi.

M. Ludovicus Demondières Du- gué.	M. Philippus Bernardus de Bordegaraye.	M. Joannes Daval.
M. Raymondus Jacobus Finot.	M. Jacobus Simon Gilles de la Rivière.	M. Claudius Quiquebeuf.
M. Claudius Berger, è Regiâ Scientiarum Academiâ.	M. Ludovicus Lemery, è Regiâ Scientiarum Academiâ.	M. Bertinus Simon Diexiveye

Proponebat Parisiis JOANNES-CLAUDIUS-ADRIANUS
HELVE TIUS Parisinus, Baccalaureus Medicus,
A. R. S. H. 1708.

Typis Viduæ Francisci Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographi.